cum

re, & Corpus

ins, cum

Evang.


In Festo Epiph.

com.

se qu.

com.

27 Sabb



[redacted]

10 / 15C / 15
10

50
50

Ausgemerkten
und nicht fort-
gehalten



SENACULUM
Purpurati Honoris
CAPVT ŁVBIENIVM
dum
Illustrissimus & Excellentissimus Dominus
D. BOGUSLAUS
à ŁVBNA
ŁUBIENSKI,
CASTELLANVS Sandomiriensis
Exercituum S. R. Majestatis & Reipublicæ
Polonæ Generalis, Oycoviensis, Iadovnicensis, &c.
CAPITANEVS.
Ad Senatoriam Curulem
In Opatoviensibus Comitijs
Applaudente Palatinatûs Sandomiriensis Civium acclamatione.
Inauguraretur
A
M. LAVRENTIO MICHAELE ROMPALSKI,
In Alma Vniversitate Cracoviensi Philosophiæ
DOCTORE & PROFESSORE
Officiosô Cultu
DELINEATUM.
Annô quô
è Senaculo Virginei uteri Rex Regum Adoratus.
1728 Mensis Septembris die 13

CRACOVIÆ Typis JACOBI MATYASZKIEWICZ S.R.M. Typographi.

In Gentilitium Stemma *Illustrissimæ*

ŁUBIENIORUM
DOMUS.



Formosum nexum cernit Sarmaticus Orbis
Armatum quando redditur Ense Caput

Proficuos Patriæ mens sensus gemmea spargit
Ensem nudatum gens inimica fugit.

JLLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE.



Mplam quà latè patet Virtutum Tuarum Magnitudinē, Senatoriâ eminentem Curulî, cunctis Patriæ Civibus, quorum mentes & corda innata humanitate triumphas, gratulatorio attolentibus plausu; patieris etiam in hanc exiguam vocare paginam. Pallescit quidem conscia tenuitatis suæ vastam laudum Tuarum gestatura molem, cui portandæ nec Atlanticus sufficit humerus: livescit etsi veri interpres candoris, atrô Te qui rubro immortalitatis dignus censeris, sustinēs charactere; hoc non nisi animata audet in publicum prodire, quòd fusô toties pro Patria ex saucio Capite cruore depingatur. Stricta & incul-

 ta li-

ta literarũ sepia Te Tuosq́ʒ Aborigenes intra sui margines claudere tentat, hæc tamen ne temere agat, informata Ipsos Deos quibus sunt omnia plena sub vili forma latere posse salva & illæsa virtute propria. Vtiq́ʒ non diminuitur magnitudo virtutum, etsi in parva pingantur imagine: idem Macedo in cubitali Apellis tabula, qui una manu Orientem altera occidentẽ tangit, Eadem in nucis putamine Troiana cædes, quæ numerosîs constãs phalangibus, amplam mundo reliquit historiam. Princeps Planetarũ sol, qui diffusis radijs implet Vniversum Orbem, ternis adæquate exprimitur literîs, pretiosus adamas etiam plumbeà comprehensus Sphæra Adamas est, annulari Pyrrhi Regis, Circulo inclusus cum suo Præside Chorus, Idem est, qui in Parnassi spatiatur collibus. Non dedigneris Illustrissime Domine *huic inculto adesse operi, etsi hic dignè laudari non possis, maximæ laudi* Tuæ *imputabis, quòd præter* Te *nil laude dignum inveneris. Debiti obsequij affectum non vile opus pensabis, & quem vocali pro honore* Tuo *sonare Tuba non posse experiris, tibià saltim canere permitte*

SENACULUM
PURPURATI HONORIS
ŁUBIENIUM
CAPUT.

TRibutarius celeberrimæ Geneſi *Tuæ* purpuratus honor, poſtquam fortunatis avibûs ad feſtivas acclamantiũ voces emeritam virtutem in Senatorio locat ſubſelio, auſpicatum beatioris ævi, varijs infauſtorum caſuum perculſi rumoribûs, ex dignitarijs, qui pridem exantlatis laboribus debebantur; Faſcibus aſſumimus omen *Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine.* Te quippè

illa generosæ mentis eminentem Celsitudine commune mortalium excedente vulgus, inter Togatos Sarmatici Senatûs Proceres contuemur, Cui pretiosa aureæ libertatis onerata merce Reipublicæ cõmissa Navis, jactâ in profundum negotiorum consilij anchorâ, procul dubio spumantes novercantis fortunæ superavit procellas. Securi sumus à ferociente irruentium ceu agminè malorum facto impetu, inest nobis toties Polono expertum Orbi armatum in ŁVBIENIANO CAPITE præsidium: adest contra clandestina malevolentiæ stratagemata, Martiali expolitus pulvere, hostili inescatus tabo nudatus Mucro; contra oculatas conjuratorum fraudes. Perpetuo damnantur exiliô usque ad ultimos Septemtrionis fines, mille fugiunt pericula, dum illuc Herculeum calcandis hostium dudum assvetũ collis introducis pedem, ubi Centuriatis Consorũ judicijs propulsantur. Non formidamus perniciosam malignantiũ fatorum congeriẽ, ridemus sævientes concatenatæ calamitatis insultus, quibus, nullîs frangendũ viribus, nullis penetrandũ telîs, ancile; nimirum magnanimũ numerosis pro incolumitate Civium apertum tormentis, *Tuum* opponimus pectus. Hinc

ô quam

ô quàm uberrima gaudiorum noſtrorum in Campo gloriæ *Tuæ* exuberat meſſis, quam haud ſoli legimus Indigenæ, cùm ad recte-factorum Tuorum famam quæ Vniverſa mundi peragravit climata, ingens plaudentiũ Purpurato honori Syllabus hilari conatui noſtro ſuffragatur. Concurrunt undiq; ad vocalem meritorum Tuorum teſſeram Strenui Togâ Sagoq; illuſtres heroes, & ſingulare coram Te affectuum maturant certamen. Augent triumphum diverſa Nobilitatis Studia, Te probitatum Vniverſitatem fatentur, dum feſtiva explicant vota. Tanta confluentium in ſalutationem *Tui* Virorum agmina à longe pediſequa Magno Nomini *Tuo* ſtipendaria mea comitatur humanitas, cumq; interiori mentis intuitu eminentiori dignam faſtigio, Majeſtuoſam contemplatur ſpeciem & *Te* debita venerari tentat Panegyri; in primo ſtatim limine trepidum concipit horrorem, impares confundentem vires. Trajanus equidem à Plinio tantùm, Mæcenas à Venuſio, à Claudiano Stylico exigit laudes: *Tibi* Virtute Phocioni, pietate Æneæ, gravitate Catoni, eloquiô Neſtori, cujusnam Oratoris Suppar adorea? quoniam eò ſe inſignis gloriæ *Tuæ* ſu-

 blima

blimatur ſplendor, quò etiam Iſocraticæ mentis pupillæ adire operoſum. Hoc etiam cogitantibus de *Te* loqui inopinatū evenit; quod cum omni virtutum laude conſpicuus major ubiq; omnium æſtimationi occurras, Vniverſam quoquè dicendi excedas facultatem, ut in ipſa copia ſuam fateri cogantur inopiam. Nec minores tantùm remordet hæc cura animos, ſed quibus etiam digna Muſis conceſſum dicere, anxius circumſtat labor & ſtupor, dum auguſta meditantes inter anguſta deprehenduntur, approbando *Tuum* eſſe, meritîs Patriam Oratores admiratione implere. Excellentium namq; probitatum hæc annotatur qualitas, hæc præclarè factorum immenſitas ut omnem Laudantium abſumant & confundant facundiam; ſolum Cultum prona inſtructum veneratione admittunt. Quarè amplam laudum *Tuarum* circumſpicienti vaſtitatem illud tenuitati meæ à tanto recedere meditanti opere vivaciorem ſuppeditans animum occurrit: quòd excelſas inhabitantes Regias ſuperi eorum non dedignantur violas quibus non ſuppetit Heccatombe: *Tu* Numen Poloni Senatûs cūmaneas, infirmam *Tuo* militantis honori non repudiabis Panegyrim, & ſi *Te* emeritum

ritum Solem admiratur Patria, cui *Tuo* exortû auſpicatum intuliſti diem, more Solis non ſolum argutioribus delectaberis alaudîs, aſt & tenuiores patieris cicadas. Tali animata ſimilitudine obligata propenſio mea, cùm & publicæ lætitiæ conſenſus audaciam ſuggerat, in Excelſum gloriæ *Tuæ* reverenti pennâ eluctatur faſtigium, nec Icarij paradigmatis veretur caſum, cui magnitudo *Tua* miræ juncta comitati præſentibûs annuit cæptîs. Ergò bonæ ſpei plenus ad *Illuſtriſſimæ Domus Tuæ* adrepo propijlæum, ubi, hinc majorum *Tuorum* vivis meritorum delineatas coloribus ſpecto icones, illinc probitatis rediante fulgore obſervo ceras, hinc avorum atavorumq; inſignibus coruſcantia decoribus atria, illinc magnorum titulorum cerno ſplendores. Deinde inter alia Proſapiæ *Tuæ* decora in ipſo Magnificæ ſedis frontiſpicio auream deperiens mentem, mavortio caput ſauciatum enſe demiſsâ tueor pupillâ quod Senaculum Purpurati honoris, non tam dicere, quàm profundo comparata perpetui obſequij profeſſione venerari cultû intendo.

Velim tamen *Te* non lateat *Illuſtriſſime Domine* quòd tenebrio meus animus, um-

 brati

bratile ingenium, & genio concolorem Orationis obſcuritatem in ſe advertens auguſtum gloriæ *Tuæ* ſpectaculum non ingredi audebit, verum à longe ſpectabit, expreſſurus Pumilionum morem, qui dum excelſis Divorum ſimulacris nequeunt imponere ſerta, eis odoriferũ (haud ingratum ſuperis germen) ſubſternũt manipûlum.

Individuus honeſtæ probitatis comes, formoſum rectefactorum præmîum, cujus honeſtamentum omnium incendit animos, egregius honor, non æqualiter in ſuis claret eminetq; cultoribus, quædam ille mirâ elaborata arte imago eſt, in qua & ſpetioſæ probitatis ſpectantur formæ, & deformia vitiorum obſervãtur monſtra; arbor ex qua in magnifica dominantium Regia artificiosâ Polycleti ingenioſitate extrui ſimulacra, & teretes abjectis famulantium aptos negotijs ſtipites edolari contingit. Tendunt cæteri ſive lumine orbatæ Præneſtinæ Deæ rotâ, ſive cæcô erronei vulgi impetu, in ſublime honorum culmen, ut non tâm fedorum criminum, quàm excellentium virtutum demonſtrentur fulmen. Expugnant honoratas aureorũ tormentorũ Baliſtis arces, ut tantô potiti fortalitiô ſceleſtis facinoribus

præ-

præſidium miniſtrent. Ad pretioſum eximiæ dignitatis aſpirant aurum, ut inutilia, bono publico carie vitiorum cumulata ligna deaurentur. Eluctatur ad Imperialem Majeſtatem Domitius Nero, feſtiva ſibi Romanæ Gentis plaudit acclamatio, quæ cum hilares ex illius honoris acceſſu, omnigenæ felicitatis præſtolatur ſucceſſus, infortuniorum potitur eventu. Enimverò majeſtuoſum Neroneæ Aulæ propijlæum in Tyrannidis mutatum officinam, quid ita? illud nimirùm ſceleribus ſuis nactum propugnaculum, quòd vindex legum aries violare verebatur. Graſſatur mercenariô Aniceti mucrone mortem pro vita repetẽdo in viſcera matris, & matricidij non incurrit cenſuram, quinimò proh dolor! pro vituperio laudem, pro pæna triumphum, pro infamia fidem ferente Tacito, à Quiritibus recipit famam, quia Honorius. Inauguratur Aſſyriorum Throno, effeta naturæ propago Sardanapalus, ſpectat avida neocoronati Regis ſubditorum pupillâ gravitatẽ, quem dùm ſibi Hyppolitum pollicetur, Ægiſtum experitur. Prehendit Caj Caligulæ dextera, ſuffragante populari favorê Auſonium Sceptrum, boni ſuperi! quis unquam virtuoſæ illius vitæ exor-

 dium

dium ſceleſtô terminari Epilogô ſperaret? nimirùm dignás ille initiô Principe remonſtraverat doces, paulò poſt ipſis flagitiosîs lenonibûs familiares adamaverat nugas, cur adeo? nimia in ſupremo honore libertas, licentiam ſcelerum in ſociam advocavit. Non timet mille periculis ſuperbiâ turgeſcẽs obijcere pectus Târquinij ambitio, audet Quirinale ſolium impetuoſô aggredi conatû, quæ cauſa? ut ſecuriùs in tanto faſtigio ſuus emineat faſtus. Mirandô Fortunæ luſu à humili tugurio ad Siciliæ Regnum evocatus Agathocles, ea in pretioſo murice geſſit, quæ in abjecta nec cogitaſſet lacerna, ante imperium ſine fama fuit, quia honorem latuit, in imperio infamis, quia non latuit, clarior futurus, ſi fuiſſet obſcurus. Pulchra honoris ſpecies, verum in execrandum degenerat monſtrum, dum Turpiliones moribus repræſentat. Expalleſcit quinimò in exanime degenerat ſpectrum, dignitatis ſpecies, dùm ignavâ potiuſq; tenui Opilionum flagello aſſveta dexterâ prehenditur Sceptrum. Nec deſunt quorum pectoribus igniculi ſuffocati non ſunt, cordati viri, ut in eis Surrecturæ in bonum commune fabricæ probitatum ponant fundamentum. Non po-

ſuit

ſuit obicem exercendæ virtutis ſupremus honor Imperatori Auguſto, imò ampliorem ſuppeditavit poteſtatem, qui nihil magis applaudentium exigebat cetu, quam id ſibi gratulari, quòd illum dignitatis aſcendiſſet gradum, ex quo omnibus majorem benefaciendi ſumeret poteſtatem. Aperuit heroicæ virtuti Fabij Maximi campum, dictatorium munus, nam ſumum ad infringendam Annibalis potentiam, capeſſens Principatũ, adeo prudenti cunctatione cuncta Regis Pænorum fregit ſtratagemata, ut facilè numeroſas vinceret legiones. Patuerat hic & forti Sicinio bellatori ſtrenuo, quem ob ingentem fortitudinem Achillem Romanum Dardanius adoravit populus, cùm centum viginti præliîs clarus, coronis aureîs octo muneratus, pares Imperatoribus novem triumphos glorioſè celebravit. Candidis populi Romani calculîs ad honoris evectus Capitolium Cicero, ibidemq; gravitate conſpicuis Purpuratis annumeratus Proceribus, non egit in Senatoria curuli otioſum ad ſalvandam Patriam ſedentarium, licet ſedendo plus Romanæ Reipublicæ profuit, quã curſitando Catilina obfuit, plus ſecuritatis Arpinatis Toga, quam illius militare Sagum ad-

tulit

tulit periculi; postremò gravi Tullianæ facũdiæ stylô conjurati in perniciem Patriæ hebetatus ensis, tantum gestatori suo incussit terrorem, ut fulminantem scelera sua non ferens, ex templò illis erumperet mænijs, quibus fatalia fraudis moliebatur tormenta. Absit jam in exemplum veritatis hujus è Sepulchris præstantium virorum excitare cineres, absit probandi argumenta ex urnarum sumere domicilio, horum omniũ exactam Epitomen præfers *Illustrissime & Excellentissime Domine* Occupas ad faustam Sarmatici Orbis acclamationem Senatoriam Curulim, ast hæc *Tibi* non pacatæ quietis, verùm ingentium pro Republica curarum sedes est, insignem emeritis humeris Lechiadum votô geris Purpuram, sed illius purpurismus consangvineum habet ex Martiali vena rubiconem. Inter Togata Poloni Senatûs decora, par omnibus ades ornamentum, Cui fulgidum probitatis nitorem affinem esse triumphus animorũ declarat. Demum gemmea decoratum mente *Tuum* aureum CAPVT Sarmatia purpurati honoris veneratur Senaculum, in quo salutaria Patriæ agitantur consilia; quod quale quantumve sit? permitte ex *Illustrissimi Generis Tui* loco du-

cere

cere argumentum. Digna præconio Romanorum consvetudo, quam ad accendendam Ausoniæ pubis virtutem invenere; disponebat undiq; per atria Majorum dispositas imagines ut posterorum oculi quotidiè obvijs hærerent in vultibus, & similes in se ad Normam Parẽtum lineas derivarent. Evasisse hac arte Romanos probavit Orbis, quò enim in provectiores illa Vrbs pergebat annos, eò amplior gloriâ, potentior imperiò, ditior ærariò eminebat. Pater enim cùm superaverat hostes, Avus urbem expugnaverat, Atavus gentem Romano Imperio subiecerat, Filiũ Nepotemq; invasit gloriæ æmulationis studiũ, ut generoso spiritu hostiles invaderet phalanges, flumina transiret, inaccessos superaret montes, copiosum debellaret exercitum, ut nova accessione gloriæ nudatus adhuc paries repleretur. Hìc quanta *Tibi Jllustrissime & Excellentissime Domine* in Theatro gloriæ elucescit Apotheosis, qui illis prodijsti natalibûs, ubi per Fasces numerantur Avi, pares Curijs Senatores, Alexandris Heroes, Brutis Assertores libertatis cumputantur, quos omnes in *Te* ceu in speculo oris similitudine, gestorum amplitudine, Orbi Sarmatico proponis adorandos

& semel acceptum à Majoribus *Tuis* Genethliacum splendorem, omni cryſtallô puriorē servas, quem illimi tot sæculorum tractu usq; ad augem ævi noſtri deducis & indies auges.

Cùm amplissimæ ŁVBIENIORVM Domûs indago fundamentum, illa mihi quirinalis Capitolij occurrit extructio. Conducta equidem tam magnifico extruendo operi Architectorum ingeniositas, in quo & salutaria Patriæ agitarentur consilia, & debita virtus mercedem, pænamq; flagitia reportarent; anxia cui nam loco jacienda fundamenta forent, Fortunæ commissum, in viscera telluris forsan Gentilium more quæsitura omen, artificiosum expedit ferrum, protinusq; effodit caput; quô visô geſtiētes Romani varias sibi prosperitates inde promanare ominantes, non asilium surrecturæ in altum sumptuosæ ædi destinarunt locum, Parem *Illuſtrissimæ* ŁVBIENIORVM Domui plusquam Herculea probitate clarus præbuit originem VIENIAVIVS, Qui poſtquam in abditos silvarum recessus, recreandæ mentis gratiâ discesserat, immanem occurrentem sibi non sine fauſto sydere spectavit BISONTEM, quem forti apprehensum manu, suo protinus immolavit Ensi.

Cer-

nit huius modi artis ſpecimen ſuus Rex, & amputatum BISONTIS CAPVT, in fundamentum domûs, celeri promptitudine, Summo gaudiô, quod ex tanto concepit facinore voluit, annuit, conſenſit. Paternæ virtutis & Fortunæ hæres PERSTINIVS Baro in quem ſummi Alemaniæ conſpirarunt honores, ubi ſuam rectèfactorum vaſtitatem anguſti circumſcribere non poterant limites, adeò ſpacioſam hæreditatem nactus, quanta BARONEM Moraviæ decebat. Placuerat *Illuſtriſſimæ Domûs* hæc Regia ſublimibus alta columnîs, in qua pro flammas imitantibus pyropis amor erga Patriam, promicanti auro, illo pretioſior virtus reſplendebat SERENISSIMO SOLI, Cui quamvìs LECHO Regnum debeat Polonia, Reges debet BOLESLAO CHROBRI, quam in PHILIPPO è Germaniæ ſolo, in ſarmaticos trāſferri limites cupiebat. Defuerat forſan bellicoſo Pyrrho facundus Cyneas, igitur attrita quò Poloni Martis in expugnandis hoſtiū propugnaculis non potuere acumina, illùc maturus eloquentis PHILIPPI Stylus perveniret. Aſt coronati Patris vota in MIECISLAVM redundarûnt, Eoq; regnante primum

mum in Poloniæ campum advitalitiô DABROWKA comitatus ſociô, deſcendit, ut eò gratior Lechiæ foret, quò diutius expectaretur. Quantîs tunc Polonia fruebatur gaudiîs, quanta lætitiæ meſſis in ſarmatico legebatur campo, cui diu expectatus illius ſyderis affulſit conſpectus, quô univerſæ calamitatis nubes extemplò Patrijs finibûs pellerentur. Volvebat animô, quibûs honoribûs *Illuſtriſſimam Domum Veſtram* deſponſatura eſſet, preſentibûs PHILIPPI meritis, dumq; mareſchalcales ſcipiones, Ducales clauas, alios dignitatatum titulos meditatur, Archipræſulea eminētiâ BOSVTAM dignatur, ut Regiâ excellens mente, ad Lechiæ ſtabiliendū integritatē, ſarmatici Regnatoris obeat vices. Stupebat Poloniæ cætus, poſtquam ad ardentem indefeſſi Eliæ Zelum Boſutæ congelata illorum pectora, in amaras pænitentiæ ſolvebantur undas; aſſurrexit inſpes meliores ſarmaticus Orbis, cui ſuppares hic Alcides non negavit lacertos, ſecurā quietē Patrij habuere limites, quos Primatialis conſilij tutabatur ſatellitium. Parum erat VIENIAVIO CAPITI bonum Patriæ cogitare, niſi eidem ad defenſionem Patriæ genuina Martis propago ŁASTHEK

de

de Grabie Hebda disponente superûm voluntate, & VLADISLAO II. Rege Poloniarum annuente, districtum mucronem sociaret. Mirã profectò istius Herois solertiam, ut VIENIAVA transiret in POMIAN, volubilem fortunæ rotam naribus VRI complexum designantem, annulum mutavit in ENSEM, quô non fortuiti & inconstantes, ast nativi, & stabiles Patriæ pararentur triumphi. Hinc geminum Poloniæ Aliti prodijt munimen, postquam *Vlostisborius* Archipræsuleã cruce affines Orco copiosas fugaverat phalanges, illasq; eruditô ingentia volumina onerans calamô proscripserat. NICOLAVS Comes in Łubna ŁVBIENSKI Palatinus Siradiensis, ejusq; Licurgus, Bellonæ corculum, nives capitis cariores gemmîs cassidi supponens, inimicos Mavortiô Ense demetens, ceu manipulos in Polono legebat campo. Purpurâ Svadæ hic opus, deprædicandis tanti senatoris actionibus, satis illi fuerat hostem vidisse, & vicisse. Noverunt Daci hiantibusq; fateri coàcti vulneribûs, quantam extrucidata illorum strage, Siradiæ securitatem, Vestro Nomini præparabit triumphum. Gnarus benè, quòd aureo prodromante Asellô audentiùs itur in hostem, &

viribus, & proprio non pepercit ærario, ut o-
mnigenæ felicitatis indulgētiâ Patria frueretur
Inopem se fateri debet scriptorius stylus, in exa-
randis *Thesaurarij* Regni præclaris facino-
ribus ANDREÆ Comitis in Łubna ŁV-
BIENSKI; hunc etymus Nominis fortem;
res ipsa fortiorem, hostes fortissimum apella-
rûnt, basis sustentandis Patriæ negotijs, casus
evertendis infelicitatis machinis monstratus.
Dixit hic oracula Delphicô Tripode sapienti-
ùs, militavit *Cæsare* & Pompeiô felicius, ivit
supereminente animo ad pulcherrimam in a-
cie mortem, expedito contra Crucigeros ad
Choyniciam, ubi cum CASIMIRO III. Rege
Poloniarum gloriosâ morte jam jam emortu-
as Patriæ vires animavit. Adest vivum ma-
gnanimitatis Eius documentum Privilegium
Pruthenicū, quod Annô Domini 1436 vibra-
tô, ponderosô plenô judiciô calamô, subscri-
psit. Quid inquam de pietate SVENTO-
SLAI LVBINSKI? cui è sepulchralibus ci-
neribus immortalis gloriæ coálescit Olym-
pus. Auxit rectefactorum splendorem, addi-
dit ornamentum Gentilitia ROZA in BAR-
BARA de Zapolice PSTROKONSKA so-
cia vitæ, cvjus laudes me tacente *Illustrissimi*
olim

olim & *Reverendiſſimi* MATHIÆ PSTROKONSKI Epiſcopi Cujavienſis conſobrini fratris Præſulea enarrat vitta. Ad tantos Majorum ſplendores juvat meminiſſe magnorū Virorum Marci olim PALATINI Breſtenſis, & HIERONYMI LVBIENSKI, quorum heroica facta oblivionis aufugiunt notam, Hos in Toga pro ſalute publica certantes, in Purpura non coloratos Conſultores, in Senatoria Curuli non otioſos ad ſalvandam Rempublicam ſedentarios agnovit Patria, pro cujus Domo toties facundi extitere Tullij, quoties ingentia poſcebant negotia. Illi Eccleſiæ & Reipublicæ illibatum fidei candorem, multoties langventi Patriæ ſalutare conſiliorum antidotum propinarûnt, Illi *Sereniſſimis* Poloniarum Regibus SIGISMVNDO III. VLADISLAO IV. ita ſinceritatem dexteritatemq; manifeſtarûnt, quantam exigua pagina, non ſufficit complecti. Senatoriæ Purpuræ Archiepiſcopale adjunxit Pallium, *Celſiſſimus PRINCEPS, Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus* MATHIAS LVBIENSKI, Archiepiſcopus Gneſnenſis, PRIMAS Regni quam auſpicata in Lechiā ceciderat ſors Ei Primatiali honore in homagiū cedente, mu-

rus Acheneus Pontificiũ erat Pallium, quô Palliata ſinceritatis ſtratagemata, nullæ fraudum artes pervenere. Geſtiebat eô tempore Cathedra Gneſnenſis, quòd talem nacta fuerit Præſulem, qualem ſumma authoritas, continua vigilantia, indefeſſa circa bonum publicũ ſolicitudo optaverat, eminẽs & ſolo Regum faſtigio minus, proſpexerat auguſtal. Non invident Romanæ Vrbi Octaviũ Auguſtũ Chelmenſis, Poſnanienſis, Vladiſlavienſis, Eccleſiæ, contentæ in Mathia ſuo Paſtore ſorte, quas ille prudentiſſimô diſponendo regimine, ampliavit, decoravit, exornavit. Celebrat hucuſq; ſuum quondam Præpoſitũ Miechovienſis Conventus, quem cum lateritium accepit, marmoreum propriô reddidit ære. Felix Eccleſia *Vanckovienſis*, quæ cum Illum in Sacro Baptiſmatis balneo degentem ligneis parietibus eſt amplexa, eam viciſſim è muro fabricatis complexus, & ne ſuis careret excubitoribus, cuſtodibus SS. Sepulchri CHRISTI Hieroſolymitani regendam commiſit. Extollunt versùs ſydera *Łovicio* templo ſuperadditæ turres, liberalitatem PRINCIPIS, illamq; mortalitatis ruderibus incinerari non permittunt. Spectavit Sarmaticus Orbis quantùm autho-

authoritatis inesset Primati, qui IOANNEM CASIMIRVM decretô electionis nemine dissentiente, in Regium evexit Thronum, & *Serenissimã* olim LVDOVICAM MARIAM Reginam Poloniæ, Regali adornatam Paludamento coronavit, Iunonemq; Poloniæ contra fulmina exotici Martis prædixit. Nec potest abscondi, quia in Monte Claro posita munificentia, ubi *Celsissimum* hoc CAPVT ENSE *Suò* septem columnas in Regiã MARIANAM excidit: certè Ensis hic semper pro aris zelator, pro mensa *NAZAREA*, Supremus de sua munificentia portionũ incisor.

Perennat gloriosi Nominis stans adorea in STANISLAO à LUBNA LVBIENSKI Episcopo Płocensi Procancellario Regni Abbate Tynecensi, quam sibi exantlatis pro Reipublicæ incolumitate laboribus, vastâ meritorum decẽpedâ in immensum deduxit. Polonus hic Tacitus suis eruditis scriptis & voluminibus vocalis, debent illi Episcoporũ Płocensium vitæ, quas è mortalitatis tumulo lugubrationibus suis vindicatas, pennâ fecit immortales. Debent Regalia SIGISMVNDI III. gesta huc usq; perennantia, in Cujus funere dùm gemmeô peroravit ore, illibati cando-

ris adoratus Orator; feliciorem dixerim Pro-
metheum qui mortales Regnatoris cineres e-
loquentiæ ſuæ animavit lumine, Thaumatur-
gum, quos in pectoribus Civium Oratoriô a-
nimatos ſpiritu neſcios fati effecit. Obſigilavit
impia ſceleribus ora PROCANCELLARIVS
Regni creatus, roſas & lilia in reſponſis pro
Majeſtate Regia loquebatur, ex quibus Sarma-
ticæ apes dulces favos, hoſtiles ſcarabei lethi-
fera colligebant toxica. Legatus ad VRBA-
NVM VIII. Pontificem Maximum, hærentes
in ſui admirationem Romanorum trahens a-
nimos, dulcî eloquiô magnes cordium apel-
latus. Æmulatus munificentiâ Titum Veſpa-
ſianum, ſub cujus patrocinio nemo non lætus,
nemo non hilaris vivebat. Adſunt viva (cæ-
tera ſilentiô veneror) ſuæ liberalitatis monu-
menta; erectum & dotatum in Eccleſia Pło-
cenſi Collegium Pſalteriſtarum, auctum & ſuo
nitori reſtitutum in Alma Vniverſitate Craco-
vienſi Contubernium Philoſophorum, in Ca-
thedrali Baſilica Płocenſi educta marmora,
Præſulis gloriam attollunt. Literariæ Reipu-
blicæ Parens, capitalem ſe Fortunæ inimicum
beneficiorum ratione probavit, nam illos ær-
rarij ſui fulgore ſplendeſcere fecit, quos illa ad
inopiæ

inopiæ tenebras damnavit. In omni disciplinarum genere versatissimum consiliô, zelô pietate, magnanimitate conspicuum, Cathedra *Luceoriensis, Abbacia Tynecensis* depredicat, imò disertissimum Isocratem, belli causæ, quas in Svetico Imperio Regis SIGISMVNDI Comes inquirebat, demonstrant. Nullius ille vivens lachrymas habere voluit, mortuus ex omnium oculis spontè erumpentes pati debuit. Tantum fata hujus viri causarûnt in Orbe Polono mærorem, ut etiam aureâ revinctum VLADISLAI IV. Coronâ Caput in mæstas solveretur lachrymas, verbô: omnes Reipublicæ status, Eô vivente, favonios gratiarum, decedente procellas experti lachrymarum. Supervivit nunquàm moritura gloria ALBERTI ŁVBIENSKI Ecclesiarum Cathedralium Gnesnensis, Cracoviensis Canonici, Præpositi Pułtoviensis, cujus emeritũ CAPVT non una Præsulea redimiret Tiara, ni Cælestem maluisset coronam, nulli hic injurius nisi honori, quem eò magis amplioribûs titulîs insequi visus, quò celeriùs fugiebat eum. Occurrit major meritîs, maximus probitate IOANNES à ŁUBNA LVBIENSKI *Tuus Illustrissime Domine* Avus. Stupet attoni-

tonita mens tanti Viri magnanimitatem contemplans, qui ut nihil Fortunæ honoriq; deberet, non evanidîs titulorum fulguribûs, ast perennibûs virtutis fulgoribûs, maluit clarere. Illi Bellona Pallasq; nutrices fuere, quem eruditionis dexteritatisq; lacte in columen Patriæ enutrivere. Non sufficiebat Macedoniæ Regnũ ALEXANDRO, aliud victrice vestigabat fama; par animus IOANNIS, Patrijs non contentus finibûs, exotica peragravit Climata, ita tamen ut Patriæ gloriam, exteris admirationem, generosis actionibus compararet. Servavit illimem à calente exterarum gentiũ sole intaminatæ vitæ candorem, & quamvis alij cum Cælo mutant animos, hic ex adverso Cælum, non animum mutavit. Reversus summo gestientis Patriæ gaudiô, in propriam oram, eloqui non valent ora, quantâ dexteritate, quãtô virtutis ardore Lechicos Martes recreabat. Mitto amplissima decora, prætereo in Annalibus reposita merita, jam enim in laudes desideratissimi Parentis *Tui* SIGISMVNDI à LUBNA ŁVBIENSKI VEXILIFERI Siradiensis pergendum venit, ut eò commodior à Parẽte in Filium descendat Laudatio. Periculum fateor, notissimis *Illustrissimi Genitoris Tui*

virtu

virtutibus obruere aures, nè minùs ego dicam, quàm *Tu* oculis hausisti; & quæ exempla avidissimè in *Te* trahebas, ne ego prætereã. Quacunq; ratione tamen id à me fiet, benigissimè suscipies, & cum non attingam omnia Illius magnitudinis, non conatui meo imputabis. Musis dignus SIGISMVNDVS *Tuus* fuerat *Parens*, Ast una Patriæ, quam in sinu heroicæ virtutis suæ fovebat, cum SIGISMVNDO recreatio. Militabant Ei pax & constans faustitas, sub Illius vexillo ad quod tanquam ad Palladis clypeum Vniversa obrigescebant mala. Non cespitavit Siradiensis Eques, cui Ille militari signo præibat. Quantus terror adversis hostium castris extiterat, vix pro Patria tanquàm pro Græcia Hector ad cruentum Gradivi negotium descendit, illicò Martem spirare visus, probatus. Præivere semper ingressum Ejus pavor & terror, nam hostem oculîs petebat, superciliô trahebat, fronte deiciebat, manu præmebat, gladiô conficiebat, equô proterebat. Probarûnt id suo infortunio Dacici, Scythici, Othomanici exercitus, quorum fugientium terga toties Polonus viderat miles, quoties cum legione sua quàm proprio stipendio in subsidium & defensionẽ

Reipublicæ conduxerat, in Gradivi ſtetit arena. Mirabatur formoſum vulneribus Livonia, Pruſſia, inter denſa caſtrorum agmina fulminis inſtar armorum ſplendore coruſcantē Pomerania, Curlandia, ipſe dexterrimus heros *STEPHANVS CZARNECCIVS* nō ſine ſtupore Herculeas æſtimavit dotes. Sat Ei fuerat arma tuliſſe, & hoſtem ſuſtuliſſe, qui non priùs ex acie pedem movit, donec magnanimô auſu profligatas hoſtium catervas è vita ſubmovit. Ampliora Illius merita exigua non capit pagina, quæ diſtinctos annalium exigunt faſtos.

Hìc pondera quæſo *Illuſtriſſime Domine* auſpicatam Domûs *Tuæ* fortunam, illa dignitatum ſedes eſt, dùm nullus in Lechiæ finibus reperitur honor, qui VOBIS non foret Vectigalis: in illa felicitatem collectam, quæ alijs negata, miratur Orbis; ſunt nimirum alibi Plena Curulibus atria, ſed Mars deſideratur, alibi caſſidibus ſcutiſq; refertus paries, ſub pondere Gradivi gemit, ſed Purpura nulla præter Sangvinem. Diſperſit namq; honorum ſemina, eadem fere induſtria fortunæ, quàm in ditandis regionibus obſervavit natura. Hìc ampla meſſis, ibi metallo prægnans humus,

hic

hìc apta bello pectora, ibi artificioſo dedita plebs labori; alia Romæ familia ſenatui parturiebat Conſos, alia Gradivos, *Tua Illuſtriſſime Domine* Cælorũ beneficiô, fortunæ munere, virtutis labore, omnem decoris in LVBIENIVM CAPVT congeſſit coronam, meritò honorũ Senaculum dicendo, ubi non alia agitantur conſilia, niſi quæ priùs in teniam ejus debeant abire. Gaudet & Senatorũ Purpurîs, & militaribûs abundat gladijs, eminet & alijs ampliſſimorum honorum muneribûs.

Adeò ſumma *Illuſtriſſimæ Domus Veſtræ* ceſpitantibus animi non ferenda oculis lux oboritur! cujus ampliat ſplendorem, per connubiale vinculum *Illuſtriſſima CÆCILIA* de Opacz *OPACKA*, Palatinis Derpatenſis, *Illuſtriſſimi* Genitoris *Tui* æſtimatiſſima Cõjunx. Stupet hìc attonita mens, hærent oculi, ſubſiſtit volans in laudes calamus, dum hoc ſemideorum ingreditur Pantheon, offertur hìc viſenda *Illuſtriſſimi NICOLAI* de Opacz *OPACKI* Succamerarij Varſavienſis, Capitanei Piaſecenſis, & magni Procuratoris Arcis Cracovienſis imago, proſtant pro Patria tuenda, hoſtili cruore inſcripta documenta. Ful-

get nullas adverſæ ſortis patiens caligines Soleæ & Falci innixa CRVX, *Conſtantinos* magnos triumphis innumerîs claros notat OPACCIOS. Altiùs ſe ſubmovens, extaticus intuentis redditur animus, cum tantùm in Sago Martem, in Toga contuetur Neſtorem *NICOLAVM*. Sola ætate impar virtutes, eruditionem, ac zelum pro Patriæ ſervanda integritate integerrimè tenens, quaſi agnata, ſuus natus *SIGISMVNDVS* de Opacz *OPACKI*, qui innatæ virtuti, ut majorem ferret ſplendorem, ab exotico eundem expetijt ſole; ac tantum Pallados eruditæ & Sacræ Themidos inclaruit ſcientiâ, ut Poloni Statores reducem in Patriam, Archilycæum ſtudiorum, & veriorem *Juſtinianum* ſalutarent. Vix in Patria ſtetit, illico Civium & Regales ſibi attraxit amores: ingeniô acutiſſimô nervoſiſſimas cauſas ſcrutabatur, & planas reddebat. Hinc quàm emeritum fuerat Caput, ex ipſis CAPITANEATIBVS Liatovienſi, Rycivolienſi, Mlavenſi, Piaſecenſi, inpræmium laborum à SIGISMVNDO III. Poloniarum Rege gratiosè oblatis conijcere licet. Genuinus Paternæ virtutis cùm fuerit hæres, ipſum etiam Paternum honorē Succamerariæ dignitatis Varſavi-

ſavienſis hæreditavit. Non ceſſit famæ Avi virtutiq; Genitoris par filiorum *ALBERTVS & JGNATIVS OPACCII*, vera Martis Poloni & eruditæ Pallados progenies, quorum primus *Vexillifer* Varſavienſis, *Capitaneus* Neocorcinenſis, inviolata Divæ Themidis ſtatuta adamuſſim ſervavit, eaq; ne iniquo opreſſa gemerent ſub Marte, primus in mille diſcrimina vitæ ire paratus, evicturus; Alter vix infantiam exuit, magnanimam indolem multorum capacem, primùm Muſis, dein exotico devovit Gradivo, fortiùs pro Patrijs focis pugnaturus. Emoriuntur hìc glomerantes agmine multo venenatæ Salpygæ Daci, quoties triumphantî *CHRISTOPHORI OPACKI*, Pocillatoris Diſtrictûs Cerſcenſis ſoleâ premuntur. Vivax virtus experti mortis jũcta comiti famæ *NICOLAI* Pocillatoris Varſavienſis, ipſi demeſsi *Suâ* falce, contriti fractâ in curſu Mavortis ſoleâ Crucem paſsi Crucigeri, ultimô halitu Illum proclamant victorem, ſeq; ab eô victos fatentur cadentes. Hinc quantũ *OPACCII* conſiliô & armis valuerũt, Ducatus Maſoviæ narrat, ipſaq; *Sereniſſimi* olim VLADISLAI IV. Regis Poloniæ manibus eorum ſubſcripta teſtatur electio. Al-

tũ hic tranare intendit calamus, dum *Illustrissimũ HIERONYMVM* de Opacz *OPACKI* Palatinum Derpatenſem laudibus attingere tentat. Indigam ſe hic omni colore quævis facundia videt, pro eloquentiſſimo Orbis Poloni Cynea verba factura, habetantur etiam capaciſſima ingeniorum acumina, ad Lydium hunc lapidem, qui collapſuræ toties Patriæ adamantina extitit columna. Hic centoculô argutior Argô, profundô ingeniô aſſurrecturas in Patriam prævidebat procellas, ultraq; ſuos limites proſilire, Gentilitia Cruce obſiſtendo, non permiſit. Novit talem Patriæ Senatorem Eccliplis Othomanicæ Lunæ, terror Orientis *Sereniſſimus* olim & *Invictiſſimus* IOANNES III. REX Poloniæ laudibus celebravit, heroicos actus æſtimavit, verior Atlas fatigatum bellicîs & Senatoriîs negotiîs Alcidem, pectori ſuo æternùm victurum incluſit. Hinc *Tua* non poſtrema gloria *Illuſtriſſime Domine*, quod tanti viri Filiam, in Matrem *Tibi* ſuperi delegâre, quæ alto generi non infimam virtutum addidit ſpeciem, purpureis originis ſuæ lineamentîs innumeras probitatum traxit catervas, ampliſſimis Avitæ Domûs *Tuæ* ſplendoribus ſat addidit luminis,

minis, dùm inſigniores Maſoviæ, Curlandiæ intulit ceras. Fæminam illam ſexu quod *Te* magnum genuerit Filium ſæcula notant, ſed virtutibus quibus floruit, ſi non ſupra viros, parem viris memorant. Stupuit Orbis maſculum in Ea legens animum, quæ ſingulorũ declinavit injurias, Vniverſorum conciliando amores. Hæc inter dignas digniſſima, inter felices feliciſſima, quod maximum, inter ſanctas non poſtrema Mater, concreditas ſibi opes inopibus, divitias Divis, nummos Numinibus pluſquam liberali manu erogavit; hac humanitate propitios ſibi obligando ſuperos, ut pares Aboriginibus magnis progeneret natos: nec eluſa votis, majorem natu CASIMIRVM, Mitra Ducali Pontificia inſignivit Corona benignior Lucina, *Te* Mars ad Clavam & Enſem, Senatus ad Curulim vocavit. Gemmeo hic certe opus charactere, ubi ille exprimendus PRÆSVL, Cujus mens gemmea, Caput aurũ optmum, totus inæſtimabili pretio dignus cenſendus. Anguſtum hic omne pectus, rauca PRINCIPIS Eloquentiæ vox, ubi ipſum orbis Caput Roma, pro laudibus CASIMIRI, perorat voce, Sapientia Romana propè Divinum celebrat ingenium. Feli-

ciſſi-

cissimam se imò beatã Polonia professa, dùm desideratissimum hunc Hospitem in suo salutavit Solo: accessit magnum pretium, ternis Cracii Vavelli Coronis, dùm gemmam virorum inæstimabilem, gemmeũ CASIMIRVM suscipiunt. Reàsumpsit vires tot hostium concussa ictibus, gens Polona, Divinô per aureũ os CASIMIRI impleta spiritu, toties in Exedris Cracoviensium Basilicarum cum stupore audientium perorantis. Novit hic fulminare vitia, & virtuti parare triumphum, Iudex deputatus ad suprema Tribunalis Regni judicia, utriq; parti facilem præbendo aurem, injuriæ vindictam, innocentiæ victoriam daturus. Invisceratus Procerum Regni cordibus, & Ipsius *Serenissimi ac Invictissimi* AVGVSTI II. Regis Poloniæ adhæsit animo, columen Regni futurus, Præsuleum suscepit pedum, emeritum CAPVT TIARIS suppoſuit. Consecratus in Monte Claro candidissimus Præsul, montem pietatis tota vita Capite suo gestandũ assumpsit; Ipse meta altiorum honorum eminentissima futurus. Buccinant altâ voce pro laudibus vigilantissmi Pastoris, elatis ad sydera labijs ternæ Heracliensis, Chełmensis Cracoviensis Tiaræ, prædicant sanctitatem sanctuaria,

ria, in quorum ornamentum maximam fortunæ ſuæ devovit ſortem. Extollunt CAPVT Ejus Eccleſiæ Cathedrales Cracovienſis, quam reſtauravit, mauſoleo Sancti STANISLAI Epiſcopi & Martyris, tum ſumptuoſa turri adornavit, poſtibus marmoreis, & altaria grandi argentea ſupellectili oneravit, Chełmenſis, quam vetuſtatis corroſam dente, inſigni ſumptu reparavit: Collegiata Kielcenſis quam ex umbris & ruderibus, Ipſe jam in umbras & cineres reſolvendus mortales, elevari, magnificamq; reddi curavit. Reviviſcit Hic Phænix in Almæ Matris Vniverſitatis Cracovienſis pectore, in quam pro eruditionis lacte, aureô beneficiorum depluebat imbre. Magnum liberalitatis Suæ præbet documentum CANTIANVM monumentum, inquo licet inanimata marmora ſudantia tamen, munificentiæ Præſuleæ ſentiunt pondus. Midam profectò verioris ſæculi Polonus celebravit Orbis, vix ad miſeriam dexteram extendit, illico inauravit menſas pauperum graſſante fame, locupletavit, inopiam ditavit. Erubeſcit ulteriùs ad tanti Purpuram *PRINCIPIS*, impar celebrandîs virtutibûs Eius ſvada, immenſum celebrium operum recenſere computum, quinimo

mo indicit silentium, dum summum CAPVT
CLEMENS XI. Pontifex Maximus, Illum
aureo præconisat ore; pridem Cracovia talē
Episcopum non habuit, justum & sapientem,
Hunc Cardinalitiâ vestitum Purpurâ Lechia
spectaret, ni felicitati nostræ invisa sydera Il-
lum subtraxissent: eheu, vivens hic, magnis me-
ritis & fama, moriens lachrymis implevit Or-
bem.

Iucundum & dulce hos *Illustrissimæ Do-*
mus Tuæ speculari splēdores, ast dulcius com-
pendio factam majorum *Tuorum* Imaginem,
Te in uno *Illustrissime Domine* venerari.
Quam fortunata illa sæcula, quæ *Te* singula-
rem Patriæ Fortunam, in lucem prodeuntem
vidêre. Gangetico certe pulvere mensuran-
da hora, quâ *Tu* in arena viventium stetisti,
nutantia Patriæ negotia ponderosi consilij sta-
bilimentô firmaturus. Quis gaudia, quis plau-
dentium choros, quis *Illustrissimorum PA-*
RENTVM Tuorum festiva enarrabit hila-
ria? qui ad Natalium *Tuorum* ferias *Te* Pu-
sione delectantes hospite celebrarunt. Natū
Te complexi, & non inane ~~& non~~ ex delicatis
corporis *Tui* lineamentis captantes omen
Divis in obsequium, Marti Polono in auxili-
um

um, Patriæ in utilitatem, dicarunt, consecrarunt. Patuit in tenera ætate *Tua* quantus in maturiori futurus eras, si enim ex ungve Leo, ex pollice Gygas, ex oculo Aquila colligitur, si Æmilius in pueritia heros, si magnus in Catone puero animus, si in Alcibiade ephebo Pericle major ingenij admiratio: ipsa indoles animi *Tui*, tacitaq; altioris Genij vis, quamvis in pusillo corpore, tamen magnum *Te* loquebatur heroem, ipsa vox infantilis svadæ *Tuæ*, quam ingentibus Patriæ communicas negotijs præluserũt. Nihil parvũ in *Te* præter corpus tunc vidit Polonia, magis *Tibi* placuerat Pegasus, arundine longâ; quem ut possideres, Cracium petijsti Heliconem, in illoq; eruditionis libando rivulos, *Te* perfectionis fontem declarasti. Hucusq; Vniversitas Cracoviensis *Tui* sudoris, æstimat gemmas; pretiosa hæc monilia, Alma Mater suo pectori, imò cordi admota gestat. Desudasse *Te* in studijs Cleanthis fatetur diligentia; gnarum benè, cum labore imò cum dolore ex vulnerato Iovis Capite satam esse Minervam. Decurrebas maturis passibûs literarium studium, & nemini Lentulus, cuilibet Celerinus in virtute & profectu æstimabaris. Oblectaverat

 sum-

ſummoperè *Tua* ſedulitas Craciam Palladem, eòq; majorem ex *Tuo* Vratiſlaviam receſſu concepit mærorem, quò ampliorem *Tui* habuit amorem, quem ſibi eximia pietate, generoſa virtute, indefeſſo ad ſtudia labore comparaſti. Comitabatur *Te* Illius affectus, ad aliud feſtinantem lycæum, ubi tantum exiguo temporis intervallo profeciſti, ut non ſolùm latinum, ſed & Teutonicum perfectiſſimè edoctus Idioma, eruditum *Tuum* CAPVT Gallicîs coronandum Liliîs cenſeretur. Igitur Pariſienſes adijſti Muſas, quas eruditæ mentis *Tuæ* vivacitas in lætitiæ tripudium ſolvit. Salutavit *Te* Gallia, è Poloniæ campo ad ſua venientem lilia, florentiſſimæ mentis admirata decorem hæſit; & quod in ſui Regni Gentilitio flore explorare non poterat, ex *Tui* animi candore colligebat. Conſumato tandem literario curſu annô decimö ſeptimô ætatis *Tuæ* quô alij adhuc pueraſcunt, *Tu* Vir quadratus in Bellonæ pro ſocis Regis Galliæ pugnantis deſcendiſti aciem genuina Martis Metempſichoſis factus. Nequeo licèt per imaginem oculîs: labores eloqui, quos in Galliæ per triennium in alijs robuſto pectore agreſſus es Regnis: pluſquam decenniô æſtatem nullam Do-

mi

mi, raram hyemem non ſub dio, die noctuq; ducebas, ut ſecuriùs integritas ſui climatis quiete frueretur, Religio ampliùs propagaretur. Non formidaveras ad navale prælium tempeſtuoſi Maris procellas, altior his periculîs *Tuus* eminebat animus, quem intactum & inconcuſſum, interna gaudentem tranquilitate, ad quoſvis malevolæ ſortis quæ fortibus invida viris impetus ſervaſti. Domabas inter confertiſſimas cohortes punctim cæſimq; obvia hoſtium pectora, fortius nec Hector ad Trojam, nec *ALEXANDER* ad Tyrum, nec Annibal ad Cannas pugnavit. Auſpicatus dein poſt diuturna expectationis nubila *Tuus* adventus, lætitiæ Patriæ attulit diem, cui *Te* illa mentis celſitudine, frontis Majeſtate, morum gravitate, totius corporis eleganti comitate præbuiſti, quibus Marcium Catonem exornatum, triumphator gentium Senatus Populuſq; Romanus fatebatur. Pervenit hæc ad aures *Sereniſſimi* IOANNIS III. Poloniæ Regis *Tuorum* rectefactorum fama, imò didicit oculis ſuîs, ſpectando quid poſſet Nobiliſſimo in Equite fortuna, integerrimo in Præſide æquitas major, probatiſſimo in Viro pietas Maxima, mendaciorem illam eſſe cum de ma:

 ximis

ximis minima, ideò Dilectissimam Filiam Suam inter alios Senatores, Comites Ejus in Bavariam, *Tuæ* etiam concreditam dexteritati, Electori Bavariæ reducendam commisit. Recreatus tanto pignore DVX *Tibi* amoris sui repagula pandit. Conjecit magnanimus *PRINCIPIS* animus, quantum *Tuæ* virtuti inesset pretiũ, Cui inæstimabile Regium monile credebatur: unde sic Illius adhæsisti cordi, ut quondam Ephestio ALEXANDRI Ampliabatur indies DVCIS affectus *Tua* bellicâ industriâ, in cujus præmium multi abivere honores. Ingens DVCIS Bavariæ erga *Te* enituit amor, dum *Te* non tantùm universi exercitûs DUCEM fieri voluit, sed arcanorũ suorum interpretem, coram *Serenissimo Regnatore nostro* AVGVSTO II. designavit. Legebat ex fronte *Tua* Regia majestas, arcana luminum, vigore, formâ, ætate consideratîs qualis quantusvè non defuisti heros, ideo *Te* ad Patriũ revocare solum exambivit. Matura sub alieno sydere virtus, diu exoticis limitibûs arctari non potuit, ad nativum redire solum, & non spectatum tot annîs Patriæ vultum desideratissimo intuitu revisere cupiebat. Sic deserto nidô fidelis Iovis ministra, per li-

qui-

quidum divagata áèra, libato puriorîs auræ elemento, iterum repetit nidum, iterum compoſitam in rupibus domum Regia Ales, ceu ſolium conſcendit occupandam. Qualem *Te* exterus Orbis reddiderit Patriæ, tot excelſorũ meritorum teſtimonia habet, Indolis *Tuæ* unicam probitatem fuiſſe alimentum.

Agmen Ducit virtutum *Tuarum* in ſuperos, Regem & Patriam, quà nihil glorioſius in terris, nihil optabilius hominibus, quàm *Tu* adeò dilexiſti, ut egregiæ mentis *Tuæ* domicilium meritò Numinis dicatur ara. Taceo extaticos ejaculatoriàrum Orationum actus, prætereo pia, quibûs cum exoriente aurora in Cælum levaris ſuſpiria, mitto alia religionis in Cælites documẽta: quæ nõ humano aſt Cæleſti præconiô expedit celebrare. Pietas in Regem dicenda venit, quæ in *Te* tunc maximè patuit, cùm alios lateret. Europum rarò in Europa videndum *Te* monſtraſti, dùm fideliſſimus comes *Sereniſſimi* AVGVSTI II. Regis Poloniarũ adſtitiſti, Eidem ad Kliſzow pugnanti tormentariô globô ſuccubuit Regius equus, REx ut fatalẽ evitaret caſum *Tuum* Ei ſubminiſtraſti. Plaudunt alij quorum dextrâ præhenduntur Sceptra Regibus, cùm be-

 nigni-

nigniori Fortunæ clementia, in Majestuoso
ad pacis oleas eminent solio, verùm cùm ad
duræ necessitatis angulum sive manifesti pe-
riculi foveam, instabili ejus ducuntur rota V-
niversi pro plausu indignationem, pro sinceri-
tate fraudem, pro fidelitate rependunt fugam
Confudisti ejusmodi Brutos dexterrimo facino-
re *Tuo*, quando recedentibûs præ conspirati-
one in gravi negotio Martis cæterîs, nè Polo-
nus Æneas *Te* in utraq; sorte probato destitu-
eretur Achate, nec palmum etiam cum no-
tabili Fortunæ *Tuæ* dispendio à latere Regis
recessisti. Innotuit demum Pietas in Patriam
Tuam ad Varsaviense prælium, inter conci-
tata pulveris Olimpici nubila, ceu Phæbus cla-
rissimus Sveticos Andabatas protrivisti, & in
pulverem deduxisti, Profundant multi pro
integritate Patriæ fortunam, Sangvinem, vi-
tam, videatur hoc decus in Decijs, Curtijs,
Codris, *Tibi Illustrissime Domine* effunden-
di vitam non defuit animus, quam tamen re-
bus afflictis propitij superi, illæsam servave-
runt, ne *Te* cadente, Patria infortunatum Su-
biret casum. Quid inquam de stabiliendi Re-
gni Statibus, quantam solicitudinem impen-
dis, illuminans aliorum mentes, ut crassæ tene,

bræ

bræ propulſarentur; disjunctos animos rationum nexu ita ſtringis, ut tali unione gemmeus Pater Patriæ nomineris, talia mediorum adhibes pharmaca, ut Reipublicæ membra integra ſemper gaudeant ſanitate. Innumerum probitatum *Tuarum* Computũ, cùm hìc ingentem ſyderũ æmuletur numerum, maviſq; laudanda agere, quàm laudari, & cùm modico foliorum ambitu nequit complecti non ediſſero, Vnicam liberalitatem quam in egenorum ſub calamitatis gementium pondere turba exerces, præterire non poſſum. Norunt hanc Noſocomia, patet in Clauſtris, Baſilica Iemielenſis; quòd tota in ruinam non ivit, *Te Benefactorem* fatetur, lapideſq; munificam *Tuam* ſentiunt dexteram. Irruebant *Tua* merita & virtutes turmatim honores, quos tamen *Tua* modeſtia gradatim acceptare elegit. Iviſti per minora dignitatis ſubſelia, dignus maximîs, ſubſternebat fortuna gradus, quia *Te* faſtigijs deſtinabat. Generalem Exercituum Regni *Te* Regia AVGVSTI II. fecit Majeſtas, Cui altiores pridem meditabatur honores, ſed animus ſumendi defuit. Officium Regni priùs obire elegiſti, quàm in Senatoria eminere Curuli, unde Subdadifer Re-

 gni

gni factus, illas famelicæ Patriæ ministrasti dapes, quæ in salubre alimentum eidem cessere. Quam exquisitissimo Ducatûs Osviecimensîs, quàm immenso singulorum plausu salutabaris *Illustrissime Domine*, dùm CAPITANEALES prehensurus fasces, auspicatum in Vrbem peragebas ingressum. Vniversæ in adorationem *Tui* referabantur portæ, Civium votis plena patuere viscera, ipsa Astrea Astra relinquens in terram descendisse credita, cùm *Te* Iudicem æqui boniq; tenacem in CAPITANEALI Areopago demonstrasti. Exiliô damnatæ vitiorum tenebræ Osviecimensi Ducatu ampliùs non moliebantur reditum, nam splendor Iustitiæ Causas Iudiciorum *Te* adtēdente continuô fluebat. Habuit in *Tuo* corde oppressa innocentia propugnaculum, habuit gemmeæ mentis amænitatem virtus, sola crimina *Te* acerrimumvindicem senserunt

Inter tot honorum splendores & probitatum fulgores, adest nitidissimum *Illustrissimæ Domûs Tuæ* ornamentum, inæstimabilis corona, Socia vitæ *Illustrissimorum* olim CASIMIRI LVDOVICI in Radzymin & Karczewo BIELINSKI Supremi Regni MARESCHALCI Czerscensis, Mriæburgensis, Tucholensis,

lensis, Osieensis Rypkoviensis &c. CAPITANEI, & LVDOVICÆ de Raciborsko MORSTYNOVIÆ Thesauraridis Regni, Parentum dilectissima Filia TERESSIA, illo hæc prognata Sangvine, qui à Purpuris innatum habet ruborem, à Senatorijs Curulibus immortalem suum derivat cursum. Levis hæc pagina, grandes è mortalibus Cineribus non evocat manes satis habet splendoris in Tiaratis Capitibus *Illustrissimo & Reverendissimo* IACOBO de Sokołowo BIELINSKI Episcopo Lacædemoniensi, Suffraganeo Płocensi Archidiacono Pułtoviensi, Viro Sanctitate vitæ profundâ, eruditione, rarâ, cæterîs humanitate eminentissimo. IOANNE de Sokołovo BIELINSKI Episcopo Præmysliensi Procancellario Regni, Excedunt vastitatem annalium hujus Præsulis rectefacta, ipsi mortales Cineres dum scriptoriô tangũtur calamô in immensum subitò assurgunt gloriæ Olimpum. Digna encomiô gesta Soli Cælo spectatori, Cælestibus genijs Encomiastis, sub Sigillo Procancellarij tradita, humanã despiciunt laudem Avus BIELENSKI Palatinus Mariæburgẽsis. Aperuit gloriæ Cãpum DVX Aries BIELINSCIORVM, Ducũ in Klewan CZARTORYSCI-

M ORVM


ORVM. Comitũ in Wiśnicz & Iarosław LVBOMIRSCIORVM S. R. I. PRINCIPMV Mitras, suo vertici adjungẽdo. Culminat fama in magnis Marte & arte Viris *Jllustrissimis* FRANCISCO Palatino Chełmensi, & MICHAELE Pocillatore Regni BIELINSCIS germanis *Jllustrissimæ* Consortis *Tuæ* Fratribus, horum utrumq; Pietas, Zelus boni publici, probitas vitæ, Regis amor Orbi Polono comendat. Implet Galliæ Regnum BIELINSCIORVM virtus, quam in *CATHARINA, Excellentissimi* BESEVAL Generalis Exercituum Regis Galliæ admiratur. Dẽsudarunt diu Ipsi superi dignitate *Tuâ* attẽtâ ut parẽ *Tibi* genio & ingenio, virtutis similitudine, debitã, ordinarent sponsam. Noverũt non aliã deberi Vlissi Penelopẽ, Æneæ Laviniam, Tibi piam, pudicam, magnanimã Consortem. Candidus Ejus aries albo calculo notandos efficit dies, & ex vellere suo aurea illibatæ vitæ *Tibi* stamina tendit. Virtutes Illius non cuivis, Soli *Tibi* communes, ipsum Seraphicum *TERESSIÆ* Nomen, comparat *BOGVSLAO*, & quæ de *Te*, de Illa possunt prædicari, fortitudine, si Sagum tribueris Lacena, magnanimitate, si Catonis addideris

dideris

dideris Togã Cornelia, ex se *TERESSIA* verè Seraphica, quia assiduâ in superos ardet flamma,

Vos *Illustrissimos* Parentes posthuma loqui nondesinet posteritas etiam in hac carissima sobole, quæ intra domesticos lares soli publico aptatur. Par Natarum Nobilissimũ, *MARIANNA & IZABELLA* gratiæ Orbis; Pucheriæ sæculi, nil non magni ad Domûs decora spondent. Ternio Filiorũ *CASIMIRVS IOSEPHVS SISMVNDVS*, omnem ex se Domui *Illustrissimæ* perfectionem designat. Exiguô illi circumscribuntur Corpore, sed magni honorum fasces de Illis luctantur, addit maternum votum, Alma Studiorum Parens Vniversitas Cracoviensis, ut ex ejus Parnassio, insistentes majorum vestigijs, ad Culmina procedant. Huic Senaculo Purpurati honoris deferunt suos splendores, præsenti sæculo celebres ŁVBINII quorum primam, censeo *Illustrissimã* Sororem *Tuam HELENAM* à ŁUBNA olim *STANISLAI MORSKI* Vexiliferi Novogrodensis sociam vitæ, Illam dum memoro, Pandoram omnibus superum cumulatam donis adoro. Auget gloriam Martis Poloni non degener

Heros *Magnificus Dominus* CASIMIRVS à Lubna ŁVBIENSKI Præfectus Militiæ Polonæ Ordinis Teutonici *Tuus Illustrissime Domine* ex Fratre Nepos. Refulgent meritis singularia Ecclesiæ decora *Perillustres & Reverendissimi Domini* ANDREAS Scholasticus Cracoviẽsis Canonicus Gneznensis Præpositus Iłzensis *Tuus* Frater VLADISLAVS Canonicus Gneznensis magnorum honorum expectatio, ŁVBIENII. Augent plausum incomparabili probitate, Martis studio florentes ADALBERTVS, ALEXANDER Subjudex Calisiensis, FLORIANVS Vexilifer Siradiensis ŁVBIENII, quorum omnium laudes in *Te Illustrissime* culminant Castellane. Hoc Purpurati honoris Senaculum prima Sarmatici Poli sydera *Illustrissimi* Sangvinis nexu juncta exornant. DVCES WISNIOWIECCII, PRINCIPES LVBOMIRSCII, KONIECPOLSCII, ZAMOYSCII, PSTROKONSCII CIENSCII, OPACCII, DĄBSCII, MOSTYNII, CHWALIBOGOVII, PRVSZKOSCII, MĄCZYNSCII, WALESCII, MYCIELSCII, ZAPOLSCII, LESZCZYNII, REMERII, WEZYKOWII, STRASZOWSCII, RADOLINSCII, STOKOWSCII, GRABSCII, DEMBIENSCII, SAŁTYKOVII, STADNICCII, PRZEREMBSCII, SOKOŁOVII, imo tota Polonia ad *Tuum* CAPVT concurrit. Tantis splendoribus refulgens Senaculum Purpurati honoris nequit attingere calamus, votis non nisi ad illud collimat. Vt hinc *Tibi Illustrissime Domine* benigniora Astra longa Stamina vitæ protendant, unde Ecclesiæ Patriæ, & bono communi Stabilitas poscitur. Altiores honorum Curules hic, *Tuum* Senaculum ambiat, post fera fata Cælestia occupet Solia.



Lect. 1, Noct. *de* ...
fer. *Duæ Miss.* C. ...
com. præc. & fer. ...

M A J U S.

17 Sabb: Monicæ Vid. &c. Vesp. de sequ. com. Domin. & praeced.

18 Domin. 5. post Pasch. Erici Reg Mart. dupl. 9. lect. & com. Domin. CR. Credo dic. Vesp. Cap. de sequ. com. præc. item Domin. & S. ... ent. Virg.

J U N I U S.

19 v. Octava SS. Corporis Chr. In Vesp. com. sequ. & S. Silverij P. M.

20 vj. Æschili Ep. Mart. dupl. (*fuit 12. huius*) 9. lect. & com. S. Mart. CR. In Vesp. com. sequ.

21 Sabb. Ubaldi Ep. Conf. semid. (*fuit 16. Maij*) ℣. *in hym mut.* CA. Vesp. *ut in ordinar.*

22 Domin: 3. Dedicat. &c. In Vesp. com. Domin. & sequ.

23 ij. *Extra Crac. Vigilia,* Venantij Mart. semid. (*fuit 18. Maij*) 9. lect. & com. Vigil. *Duæ Miss.* CR. & Viol. Vesp. de sequ. *sine comm.*

J U L I U S.

6 Domin. 5. in. 5. post Pent. Octava SS. Apost. In Vesp. com. ... om. Dom. & sequ.

7 ij. *Crac.* Vena. Venantij Mart. semid. (*fuit 18. Maij*) CR. Vesp. à Cap. à Cap. de sequ. com. præc. *Extra Crac.* Mariæ Magiæ Magd. de Paz. Virg. semid. (*fuit 25. Maij.*) CA. CA. Vesp. *ut supra.*

iv. *Crac.* Mariæ Magiæ M. gd. de Paz. Virg. semid. ... 25. *Maij.*) ... CA. Vesp. ... Cap. ...

SS. Mart ...